

HENRICI GLAREANI HELVETII, POETAE LAUREATI DE GEOGRAPHIA LIBER.

DE GEOMETRIAE PRINCIPIIS AD SPHAERAE ASTRONOMICAE notitiam necessarijs. CAPVT .I.



FIGURA EST QVAE TERMINO, uel terminis clauditur. Termino, ut circulus. Terminis, ut reliquae figurae.

Terminus est cuiusque rei finis. Figura plana est, cuius medium neq; subsultat, neq; ab extremis egreditur.

Circulus est figura plana, una quidem circumducta linea contenta, in cuius medio punctus est, a quo omnes rectae lineae, ad circumductam lineam eiectae, sibi inuicem sunt aequales.

Circumferentia est linea, quae circulum continet, ad quam lineae rectae, ac sibi inuicem aequales, educuntur. Haec autem est ambitus, et circuitus, curuatur aq; et nonnunquam, licet a κυρῶς, circulus à Latinis dicitur. Graecis uero περιφέρεια.

Centrum circuli, est punctus ille, a quo omnes lineae rectae, ad ambitum circuli eiectae, inuicem sunt aequales.

Linea recta est, quae ex aequo sua puncta interiacet: Vel, breuissima à puncto ad punctum extensio, ut hic, a.

Lineae Parallelae aequae distantes sunt, ita, ut si in infinitum protrahantur, nunquam concurrant. Quales sunt quae fiunt à rotis curruum, ut hic, b.

A 3 Diametrus

